



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Parochorum, De Obligationibus, Functionibus Et Juribus Parochialibus**

**Engel, Ludwig**

**Salisbvrgeri, 1662**

IV. De bonis Parochorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41598**

CAPUT IV.

DE PAROCHORUM  
potestate disponendi circa  
sua bona & redditus.

1. *Bona Clericorum quadruplicia.*
2. *Circa Patrimonialia competit plena facultas disponendi.*
3. *Idem de industrialibus.*
4. *Idem de Parsimonialibus.*
5. *Etiam Parochus Religiosus bona Parsimonialia habere potest ad usum.*
6. *Bona prospectu Ecclesie acquisita non nisi in sui sustentationem, & superflua ad pias causas expendere possunt Parochi.*
7. *Sustentatio potest desumi ex Ecclesiasticis, licet adsint Patrimonialia.*
8. *Quomodo accipienda sit congrua sustentatio.*
9. *Pulchrum monitum S. Bernardi.*
10. *Quid veniat nomine piarum causarum.*

Q

11. Pa-



11. Parochus in officio diligentior, plus potest impendere in sui sustentationem.

12. Bona oeconomia Parochi non debet transire in avaritiam.

13. Consanguinei non sunt ditandi ex bonis Ecclesiae possunt tamen jurare, ne egeant secundum suum statum.

14. Quenam dicatur notabilis quantitas reddituum male impensorum.

15. Male impendentes probabiliter excusantur à restitutione, quamvis haec illis pro tutiori consulenda sit.

16. Quae sunt comparata ex redditibus Ecclesiasticis, assumunt naturam honorum Ecclesiasticorum.

17. An & quae consuetudo valere possit circa testamenta Parochorum.

**B**ona Parochorum, sicut generaliter omnium Clericorum, in quadruplici esse differentia passim inter DD. convenit, alia enim sunt patrimonialia, ex hereditate, legato, aut donatione acquisita: alia Ecclesiastica

feu  
Ecc  
lia,  
dul  
liu  
ho  
tua  
exc  
ne  
cia  
qui  
fue  
par  
qu  
roc  
in  
pet  
in  
fec  
pro  
fer  
Cle  
leo



seu prospectu & ex stabilibus redditibus Ecclesiæ obvenientia : alia *industrialia*, quæ Parochus non tantum ex industria profanâ, ut professura liberalium artium, contractu, aut artificio honesto, sed etiam ex industria spiritali acquirit, ut ex lectione Missarum, exceptione confessionum, benedictione nubentium, sepultura, alijsque specialibus functionibus Parochialibus, qui vulgo redditus *stola* appellari consueverunt : alia denique sunt bona *parimonialia*, quæ Parochus parcius, quàm sibi licuisset, vivendo collegit.

Porro circa bona *patrimonialia* Parocho plenaria tam inter vivos quàm in ultima voluntate dispositio competit, atque si ab intestato moriatur, in illis bonis non Ecclesiæ ( nisi in defectu legitimorum heredum ) sed proximis Consanguineis successio defertur. *c. fin. 12. q. 4. c. 1. de pecul. Cler. c. relatum. 12. de testam.*

Quod de bonis patrimonialibus, 3

Q 2 etiam



etiam de *industrialibus* ( quæ *quasi* *patrimonialia* vocant ) communiter sentiunt Authores, sive deindè ex profanâ sive spirituali industriâ comparata sint. quia fideles huiusmodi bona largiuntur Clericis in præmium & mercedem laboris, nec intendunt illis ullum onus imponere. *Lessius de I. & I. lib. 2. cap. 4. dub. 6. n. 37.*

4 Item & bona *parsimonialia* patrimonialibus quantum ad effectum plerique annumerant, ut & in his plena dispositio Parochis concedatur, ut ex S. Thoma, Adriano, Soto & alijs probat Nav. *de re dit. Eccles. q. 1. mon. 26.* sequuntur Lessius, *d. l. n. 39.* Lugo *de I. & I. tom. 1. disp. 4. sect. 3. n. 35.* ratio est: quia in illa parte bonorum, quæ spectat congruam sustentationem, datur Clerico plenaria dispositio, nec imponitur illi necessitas ad pias causas erogandi, ergo si competentis sustentationi aliquid subtrahere velit, nihil obstat, quo minus, id

in



in quoslibet usus expendere valeat.

Sed quid de Parocho Religioso 5  
dicemus, num & is bona parsimoni-  
alia habere possit, quæ pro suo libitu  
(saltem honestè) expendat? Satis  
probabiliter affirmat Nav. d. q. 1. mon.  
33. non quòd Religiosus sibi quarun-  
dam rerum dominium acquirere  
rectè dicatur, sed quòd in illis bonis,  
quæ congruam ejus sustentationem  
respiciunt, liberam expendendi fa-  
cultatem à Jure & Superioribus ha-  
beat.

Bona prospectu Eccles. acquisita, quæ 6  
in annuis & stabilibus redditibus, ut in  
decimationib<sup>9</sup>, foundationib<sup>9</sup>, &c. con-  
sistunt, Parochi non aliter expendere  
possunt, quàm in honestam sui susten-  
tationem, & eorum superflua in pias  
causas. c. quòd autem. 23. q. 7. c. 26.  
& seqq. 12. q. 1. Trid. S. 25. de ref. c. 1.  
fatentur quoque DD. universi, gravis  
peccati mortalis reum esse, qui ea,  
quæ ex bonis Ecclesiasticis ultra con-  
gruam

Q 2

gruam



gruam sustentationem supersunt, in  
profanas causas in notabili quantita-  
te expendit. Verum circa istam con-  
clusionem aliqua notanda sunt.

- 7 I. Tametsi Parochus alia bona ha-  
beat nihilominus illis reservatis pote-  
rit totam suam sustentationem ex  
bonis & redditibus Ecclesiae desumere,  
quia dignus est operarius mercede  
sua, & nemo suis stipendijs militare  
cogitur. *Innoc. & Pan. in c. Episcopus,  
de preb.* Quod si Parochus forsan  
ab initio susceptae Parochiae ex bonis  
patrimonialibus vixerit antequam  
reditus Ecclesiasticos percipere potuit,  
fas erit ei, postea ex redditibus Ecclesia-  
sticis tantundem inter bona patrimo-  
nialia computare. *Lessius. d. dubio. 6.  
n. 38. Lugo. d. disp. 4. sect. 3. n. 44.*
- 8 II. Congrua sustentatio personae  
non est quoad strictam vivendi ratio-  
nem accipienda, sed etiam conside-  
ratio status, & dignitatis haberi de-  
bet, ita ut Parochus nobiljs vel Gra-  
dua-



duatus plus in suam sustentationem  
 impendere valeat, quam alius minus  
 litteratus, & humilioris conditionis.  
*arg. c. de multa. de preb. & Extrav.*  
*execrabilis. Ioan. XXII. Nav. d. q. 1. n.*  
*36. n. 3.* Præterea nomine congruæ  
 sustentationis etiam intelligitur de-  
 bita hospitalitas, non solum illa, quæ  
 fit erga pauperes & peregrinos, & ma-  
 xime commendatur Clericis in Con-  
 cil. Trid. *sess. 25. c. 8.* sed etiam ho-  
 spitalitas urbana cum moderatione  
 debita juxta statum & qualitatem,  
 beneficij. Item in eandem susten-  
 tationem rectè imputantur modera-  
 tæ donationes remuneratoriæ & a-  
 liæ, quibus boni amici fiunt aut con-  
 servantur, quia virtus liberalitatis pro  
 qualitate & conditione status pluri-  
 mum decet Virum honestum & inge-  
 nuum. *Lugo d. disp. 4. sect. 4. n. 66.*  
*& n. 73.* generaliter pro regula tra-  
 dit Molina *de I. & I. disp. 145. n. 13.*  
 congruitatem sustentationis desu-  
 men-



mendam esse, ex usu & consuetudine virorum qui sunt ejusdem conditionis ac timoratae conscientiae. in omnibus verò modestiae, honestatis & decentis frugalitatis ratio habenda est, & observandum quod S. Bern. in

9 *epistola ad Fulconem* scribit. *Conceditur tibi, inquit, ut si bene deservis, de altario vivas: non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, &c.* & idem Bern. in *epistola. 42. ad Hen. Sen. Archiep.* *Clamant, ait, nudi, clamant famelici, conquerruntur & dicunt: nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur; nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris, &c.*

10 III. *Nomine piarum causarum,* quibus superflua distribuenda sunt, non tantum intelliguntur pauperes, non habentes necessaria ad usum, sed etiam ij, qui carent necessarijs ad sustentandum statum juxta suam qualitatem



tatem & conditionem. Deindè rectè quoque dicuntur ad pias causas distribui, quæ expenduntur, in usum Religiosorum, in fundandas Capellanas aut Missas, alimentationem alicujus studiosi, quem sui parentes, vel nolunt, vel non possunt in studijs alere, in erectionem vel conservationem, Seminarij pauperum Scholarium, & universim quacunque ad cultum Divinum vel ad misericordiam spiritualem vel corporalem alterius ordinantur. *Lugo. d. disp. 4. sect. 3 n. 37. & sect. 4. n. 68.*

IV. Parochus, qui in administratione sui officij diligentior est, quàm de Jure teneretur, v. g. crebrius per se ipsū audiendo confessiones, concionando, Missas legendo, docendo rudimenta fidei, visitando & consolando infirmos, &c. talis, inquam, Parochus poterit etiam plus boni viri arbitrato in suam sustentationem impendere: & consequenter si vo-

luris



luerit aliquantò parciùs vivere, plus bonis parsimonialibus vel industrialibus accensere juxta illud Apost. *1. ad Tim. 5. Presbyteri, qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Nav. d. 9. 1. mon. 29. Molin. disp. 144. n. 23.*

12 V. In expendendis bonis ad pias causas potest se gerere Parochus, ut bonus Oeconomus, & ita aliqua pro futuris necessitatibus reservare, quæ verosimiliter timentur eventuræ. Non tamen debet hæc reservatio transire in speciem avaritiæ, ut Parochus velit nimis anxie & Divinæ providentiæ parùm confidens, omnes casus qui quoquo modo evenire possunt prævidere, & interim nihil vel modicum in pias causas erogare. *Nav. d. 9. 1. mon. 25. n. 5. Lugo. d. disp. 4. sect. 3. n. 41. & sect. 4. n. 74.*

13 VI. Licet in Concil. Trid. *s. 25. de ref. c. 1.* interdicator quibuscunque bene.



beneficiatis, ne ex redditibus Ecclesiæ  
 consanguineos familiaresve suos au-  
 gere studeant, sed si pauperes sint, ijs  
 ut pauperibus distribuant, &c. Ni-  
 hilominus ex communi sententia non  
 est damnandus Beneficiatus si aliquan-  
 tō plus in suos consanguineos erogat,  
 ne secundū suum statū egeant, vel ut  
 honestiores in domo ipsius conspici  
 possint, quia status consanguineorum  
 humilium, non nihil elevatur per pro-  
 motionem Beneficiati. Sed non  
 esse dandum consanguineis ex quo  
 superbi, otiosi aut vitiosi vivant, pro-  
 indeque conducere, ut Beneficiatus e-  
 orū opera in officijs utatur, & ita sine  
 præiudicio pauperum ipsis succurat,  
 monet Nav. d. q. 1. mon. 27. n. 4. &  
 s. Lugo d. sect. 4. n. 20.

14

VII *Notabilis quantitas*, quæ in  
 malè expensis redditibus Ecclesiasticis  
 peccatum mortale constituit, non est  
 eadem, quæ in furto sufficit, sed mul-  
 to major requiritur; quia cū in ma-  
 la

la



la applicatione bonorum Ecclesiasticorum, non immediatè lædatur aliquis certus & proximus, sicut in furto, si quidem ejusmodi bona non magis debent distribui pauperibus, quàm applicari ad ornatum Ecclesie, vel alium pium usum, ideò videtur sufficere, quòd moraliter & à potiori benè distribuuntur. quare Joan. de Lugo. *de I. & I. tom. 1. disp. 4. sect. 3. n. 42. vers. fateor.* putat imprimis attendendam esse quantitatem reddituù beneficialium, ita ut qui v. g. in centum superfluis viginti male impenderit, dicatur peccasse, non verò ille, qui in mille superfluis tantum 20. ad profanas causas exposuerit. generaliter autem existimat aliquem moraliter redditus Ecclesiasticos benè impendisse, & à gravi peccato excusatum esse, qui ex 100. s. tantum profanis rebus applicaverit.

**VIII.** Consulendum quidem foret omnibus Parochis & Beneficiatis, ut



si aliqua de rebus Ecclesiasticis male impenderit in profanos usus, de bonis suis patrimonialibus, vel partius imposterum vivendo restitutionem faciant pijs causis: quia non est paucorum DD. opinio, hanc restitutionem eis de necessitate incumbere ut videre est apud Cov. *inc. 7. de testam. n. 10.* attamen probabiliter teneri potest cum eodem Cov. Lessio *de I. & I. lib. 2. c. 4. dub. 6. n. 34.* Molina *disp. 144.* de rigore Clericos ad predictam restitutionem non teneri. quamvis enim ab Ecclesia injungatur superfluum largitio in pias causas, eamque largitionem omit- tentes graviter peccent, non tamen statim sequitur quod insuper ad restitutionem teneantur: quia si id SS. Canones voluissent, utique in re mag- ni momenti expressissent, sicut in rebus per se clarioribus & minori- bus expresserunt, ut quod omittens Breviarium ac non residens legitimo

R

tem-



tempore ad restitutionem teneantur in dubio autem non obligatio, sed liberatio inducenda est. L. *Arianus. 470*

16 de O. & A. Illud tamen adnotandum est, quòd ea, quæ ex redditibus Ecclesiasticis comparata sunt, adhuc maneant sub ratione bonorum Ecclesiasticorum, & consequenter in vivis sint distributioni ad pias causas obnoxia, & post mortem ad Ecclesiam devolvantur. c. 1. de pecunia Cleric. aliàs facilè eluderetur obligatio distribuendi superflua ad pias causas, quia si beneficiatus ex superfluis emeret fundos aut prædia, vel econtrà, si frumentum & Decimas venderet, jam illa prædia comparata, vel istud prærium ex Decimis acceptum liberè expendere posset,

17 Coronidis loco expendendum duxi, quid sentiendum sit de consuetudine, quæ passim invaluisse dicitur, quòd de redditibus Ecclesiasticis Parochi liberè testentur, ad quas maluerint

Call.



causas, contra claras Juris constitutiones, in quibus prohibetur, ne Clerici de redditibus licet beneficiorum testamentum facere possint. *c. 1. c. cum in officijs. 7. c. quia nos 9. De testam?* Non desunt pro & contra hanc consuetudinem multæ graves auctoritates & rationes, quas refert Cov. *in d. c. 7. n. 23. & seqq.* Rem ita componunt Molina *de L. & I. disp. 147. n. 27.* & Azor *inst. mor. p. 2. lib. 7. c. 9. q. 1.* quòd per consuetudinem Clerici *valide* testari possint sed non *licite*.

Verùm ego considero substantiale requisitum consuetudinis ( sine quo nullum effectum habet ) esse, ut sit *rationabilis. c. fin. de consuet.* talem verò consuetudinem, qua sine peccato mortali ex sententia Azorij & Molinæ uti non licet, & per quam id quod ex sententia SS. Patrum & enixâ constitutione Canonum pauperibus ac Ecclesiæ debetur, ad profanas causas distribuatur, esse *rationabili-*



nabilem, sanè mihi nemo persuaserit,  
 & hinc non vana est vulgi opinio, vel  
 experientia, quòd bona Clericorum  
 apud Laicos heredes parùm fructifi-  
 cent. Accedit: quòd experientiã con-  
 stet per talem consuetudinem non exi-  
 guum damnum inferri Ecclesijs quan-  
 dò decedentibus Parochis omnia ad  
 heredes devolvuntur, & interim Eccle-  
 sia vix facta tecta, nedum debita or-  
 namenta & novus parochus vix me-  
 dia se alendi habet; ut vel ex hoc ca-  
 pite prædicta consuetudo invalida  
 videatur. *c. 1. de consuet. junct. c. 1.  
 cum in officijs. ibi: nos indemnitate  
 Ecclesiarum providere volentes. C. 1.  
 de testam.* Quare illam valere con-  
 suetudinem existimo, quæ approbatur  
 in *c. relatum. 12. de testam.* ut Para-  
 chus possit aliqua de redditibus Eccle-  
 siasticis in ultima voluntate relinque-  
 re pijs locis, pauperibus, & qui sibi in  
 vita aliquod servitij meritum exti-  
 buerunt, sive deindè isti pauperes aut  
 ser-

serv  
 tran  
 in c  
 rim  
 Pon  
 tur  
 ad p  
 vix  
 Orb  
 quar  
 cil.  
 dict  
 mar  
 bene  
 dispo  
 decl  
 tas r  
 satis  
 non  
 patie  
 dici  
 stiti  
 jam  
 De  
 ser-



servientes sint consanguinei, sive extranei. Nihil verò movere debet id, in quo contrariæ sententiæ DD. plurimum se fundant, quòd nimirum S. Pontifex non contradicendo videatur tacitè approbare prædictum usum ad profanas causas testandi, quem vix potest ignorare, cum in multis Orbis partibus practicetur. præterquam enim quod in novissimo Concil. Trid. d. sess. 25. c. 1. satis contradicendum videatur, jam in ferè simili materia (videl. circa pluralitatem beneficiorum à multis sine legitimâ dispensatione & scrupulo obtentam) declaravit Pont: quòd sua taciturnitas non approbet tales usus, qui non satis rationabiliter adversus SS. Canones inducuntur, *multa, inquit, per patientiam tolerantur, quæ cum in iudicium deducta fuerint exigente iustitiâ tolerari non debebunt. c. cum jam dudum. 18. ubi gl. in v patientiâ.* De præb. Demùm neque illud argumen-

men-



mentum aliquid evincit, quod S. Pontif. per privilegium concedat licentiam testandi Clericis ad profanas causas, quæ testatio si irrationabilis esset, non rectè per Pontificem concederetur. Multa namque in vno vel altero particulari casu rationabiliter conceduntur, quæ tamen universaliter concedi *rationabiliter* non possent, veluti si inter consanguineos in 2. vel 3. gradu ad Matrimonium, aut cum lucifcis, illegitimis, vel alio modo irregularibus ad SS. Ordines dispensetur. Unde illa etiam consuetudo præ cæteris tolerari potest, si Clerici antequam testentur, saltem licentiã Episcop. requirere debeant, ex cuius prudentia præsumitur necessitatibus comunib<sup>9</sup> pauperum & Ecclesiarũ satis provisum iri.

Atque hæc de Juribus Parochialibus ad Divini Nominis gloriam Dei-  
paræ Virginis omniumq; Coelitũ honorem, Proximi verò utilitatem  
breviter dicta sufficiant.

FINIS.

Collegij Soc. 1657 Paderborni 1657